2,1. PROOEMIUM, QUAM CORRUPTUS SIT HODIE OMNIS USUS DIALECTICES

Principem[23] Graecae facundiae virum Demosthenem, cum ad bellum contra Philippum Macedonum regem maiori apparatu atque cura gerendum populum hortaretur Atheniensem doceretque quicquid incrementi magnitudinisque Philippi rebus accessisset, non tam illius esse viribus[24] quam desidia et inanibus Atheniensium contionibus effectum, in hanc inter cetera locutum esse constat sententiam : solere reliquos homines, cum consuluissent, agere, contra vero Athenienses, ubi res actas acciperent, tum demum consulere. Quorsum haec ?, inquies. Non videor equidem mihi magis apta propinquaque imagine quam istac ipsa posse nostrorum temporum dialecticos figurare. Cum sit enim solum istud propriumque dialectices munus, posse de qualibet re probabiliter, quantum ipsius natura patitur, argumentari, quod totum, ut praedixi, duabus comprehensum est[25] partibus, quarum una excogitandi argumenti viam docet, quam inveniendi vocant, cui parti omnis de locis destinatur disputatio, altera, cum inventum est argumentum, formam quandam argumentandi, hoc est, certam explorandi argumenti tradit regulam, qua veluti nummi moneta probumne sit an nequam fallaxque dignoscatur – ea dicitur iudicandi pars –, cumque prior illa consilii teneat vicem et deliberet quid sit de re quaque dicendum, altera quod assumere ad probandam rem placuit in argumentationem tanquam in expeditionem et ad conficiendam fidem audienti deducat, noster dialecticus contra, cum oblatam temere et undecunque dederit casus effectam iam et formatam habuerit argumentationem, tum si forte addubitet adversarius dicatque vel non cohaerere eam vel res sese

23 Principem… tradit *lac. S* Principem… uirum Demosthenem… locutum esse constat *A1* Principem… virum Demosthenem… loqutus est *U* Principem… virum Demosthenem … locutus est *Ep* Princeps… vir Demosthenes…locutus est *P1* Princeps … uir Demosthenes … locutus est *P2.*

24 illius esse viribus *Ep P1* illius esse uiribus *P2 A1* illius viribus esse *U.*

25 comprehensum est *Ep P1 P2 A1* est comprehensum *U.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

non consequi, tum ad id quod consilii erat post rem factam revertitur et inveniendi partem transfert ad iudicandum conaturque ostendere bene se argumentatum[26] esse, quoniam sit argumentum vel a maiori vel simili, genere specieve deductum. Nec intelligunt doctissimi viri (sic enim modestissimum mihi est ipsos vocare) nullam argumentationem quia a specie vel genere vel quovis aliorum locorum ducatur necessario cohaerere, quoniam ex omnibus istis ineptae et minime cohaerentes duci queant, sed tum demum cohaerere argumentationem, cum est ea rerum inter se condicio ut possint conici in syllogismi vel aliam quampiam formam argumentandi probatam, per quam cohaerentes inter se res[27] et necessario connexas esse colligatur.

Scio vero quid a nonnullis mihi possit responderi : minus hanc dialectices iacturam indigne ferendam in tanta omnium studiorum colluvie, cum cuncta, velut ferae caveis effractis, in proximorum ius et fines irruerint nec quicquam ferme discatur hoc tempore[28] suo loco. Sic iurisconsulti perplexa et involuta disputandi praecepta balbutiunt, sic medicinae studia magna ex parte redacta sunt ad supervacuas instituto suo physices quaestiones, sic physice mathematicas arripuit, unde[29] verbosa illa est de maximo et minimo et de calculandi, ut aiunt, ratione iactatio. Nam mathematice ipsa, veluti quae minime ad inanes faciat contentiones circulorum neque clamorum sit capax, sed pulvere et radio contenta mutam potius oculorum quam loquacem aurium sequatur

26 se argumentatum *Ep P1 P2 A1* argumentatum *S U*.
27 res *Ep P1 P2 A1 om. S U*.
28 discatur hoc tempore *S Ep P1 P2 A1* hoc tempore discatur *U*.
29 unde *S U A1* inde *Ep P1 P2*.

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

fidem, deserta est, et idcirco etiam tanquam non accessa prophanis mysteria minime contaminata. De theologia vero quid dicere oportet ? Cui si metaphysicen, si physicen, si dialecticen hodie demas, nudam porro et destitutam et quae nomen suum tueri nequeat reddas. Ergo cum docendus erit populus et ad religionem, iustitiam, continentiam adhortandus, ex illis artibus inextricabilis aliqua eruetur[30] disputatio, quae tempus extrahat et inani strepitu audientium feriat aures ; docent itaque, quemadmodum pueri solent in aenigmate proponere, quae, ne tum quidem cum docuerint, vel ipsimet qui docent, vel illi qui didicerint[31] sciant.

Has ego persaepe querelas audivi gravissimorum doctissimorumque hominum, quos vel grandior aetas vel acrior ingenii vis meliorum admonebat, qui ferebant graviter pulcherrimarum artium ordinem turbari, membra confundi. Quae vera esse quemadmodum affirmare non audeam, sic esse falsa vel maxime optaverim. Mihi utique committendum non est ut, cum videar velle aliorum studiorum crimini culpam dialecticorum condonare, provocem graviorem viribus meis adversarium. Quin agi perpulchre mecum putabo, si cum quo contuli pedem, contingat sine periculo mihi luctari.

Si quem ergo eorum, quos doctores artium vocant, arripias rogesque : « Dic, quaeso, vir doctissime, de dialectice, quando illam vel solam vel maxime omnium artium, quas vos numeratis liberales, videris prae te ferre, cui usui discendam putas ? Cum enim de genere non sit principum artium et quae idcirco tantum sunt discendae ut sciantur, necesse est ut ministerio et usibus[32] aliarum sit addicta. Istam vero miseram et cavillosam loquendi sollicitudinem quam tu doces, certum est non modo reliquis artibus discendis non prodesse, sed etiam obesse plurimum,

30 eruetur *S U Ep P1* eruitur *P2 A1.*

31 didicerint *S U Ep P1 P2* didicerunt *A1.*

32 necesse est vt ministerio et vsibus *P1* necesse est ut ministerio et usibus *P2 A1* necesse est ut ministerio ut et usibus *S U* ministerio necesse est vt et vsibus *Ep.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

primum quod disputandi morem ad illas tuas leges exigenti non loquendum modo sollicite, sed plane est obmutescendum, deinde quod omnis artium usus, omnis loquendi ratio plerisque illorum quae doces, repugnat, postremo quod, cum semel fuerit extenuatus ad ista et confractus auditoris animus, nunquam deinde tollere se et, sicut pes spinis confixus, nullum libere vestigium ponere audebit ». Hoc ergo pacto si quem interroges, dicat fortasse ut pleraque quae in ipsa dialectice praecipiuntur vel non prosint ad percipiendas reliquas artes, vel ita praecipiantur ut non prosint, hoc tamen iuvant quod agitatione quadam et versatione mentem exacuant et flexibilem praebeant, quo facilius reliquis se possit accommodare. Alius, qui liberius volet verum fateri, dicet, praeterquam quae de syllogismis praecipiuntur, caetera non magni sane momenti esse, sed ideo docere illa quemque, quia quisque didicerit et quia doceant omnes. Sic fit, ut dux illa directrixque omnium artium dialectice, velut latissima possessione exclusa, soli sibi discatur et ne sibi quidem, si verum dicere libeat, quandoquidem, si modo[33] disceretur, non sibi sed omnibus ipsam studiis prodesse oportebat.

Sed de illa parte, quae ad iudicandum pertinet, post Aristotelem plena sunt omnia, quae longe minus negotii habet, cum certis quibusdam neque illis ita difficilibus numerosisque legibus constet. Inveniendi rationem, post Boethium, qui legi sit dignus nemo, quod equidem sciam, tradidit literis. Priores illo, qui in manibus sunt, Quintilianus et ante eum Cicero princepsque omnium Aristoteles hanc rem complexi sunt. Sed illi omnes locorum explicuere naturam varie et suo quisque modo. Quod autem maximum in re quaque est, rationem tractandi ipsos, unus Quintilianus conatus est explicare et ostendere quomodo inveniendum sit ex ipsis et, quemadmodum in re militari solet, non satis putavit arma dare, sed docendum quoque credidit quomodo ipsis esset utendum

33 modo *S U Ep P1 P2* eo modo *A1*.

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

et militem in procinctum aciemque ducendum. Nunc autem quotusquisque Quintilianum attingit eorum qui philosophiae sibi nomen asserunt ? Deinde, quae tradita sunt ab illo, quoniam ad civiles quaestiones astricta sunt, non facile potest ea quisquam[34] inde sibi divellere rebusque suis in diverso quaestionum genere aptare[35]. Iam si quis est altius ista scrutatus quique omnes iustae eruditionis numeros impleverit, ut sunt plerique hodie docti disertique viri, ille sibi fere ista musisque, ut dicitur, discit ; profanum certe vulgus quam longissime sacrario[36] suo putat arcendum.

Fuit patrum nostrorum memoria Raimundus quidam cognomento Lullus, Hispanus vel, quod proximum est, Balearis, qui artem quandam, quam ex nomine illius Lulli vocant, extulit, acuti, quod equidem non negaverim, et non segnis ingenii indicium ; sed quoniam, quod ultro quoque studiosi ipsius solent eius nomine gloriari, non literas sciebat, non ullam aliam dignam docti viri nomine perceperat doctrinam et hoc ipsum quod invenerat quale esset perspicere, et, si forte perspexit, eloquendo aperire et ut perspexisse videretur consequi nequibat. Obscuritas ergo ingens est in discendo et horror incultus, qui etiam eos qui didicerint ubique sequitur, nisi alioqui eruditione ipsum ingeniique bonitate vincant. Copiam sane, cuius sola est ipsis cura, suppeditat, sed talem qualis in omnibus rebus esse solet eorum qui numerant, non iudicant. Quod autem non est difficile videre, loci sunt nonnulli ex his, quos tradidimus, verum non satis diligenter expliciti, quibus omnis artis eius materia continetur. Usus deinde illorum tam perplexe obscureque traditus, ut haec ars, quae reliquis aperiendis parata debebat esse, maioribus quam ulla circumfusa tenebris sit penitioribusque latebris eruenda, ut ausim contendere, nisi quis maiori mentis vi superet difficultates,

34 quisquam *P1 P2 A1* quisque *S U Ep.*
35 aptare *U Ep P1 P2 A1* adaptare *S.*
36 sacrario *S U Ep P1 P2* a sacrario *A1.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

non modo non iuvari ab ipsa, sed etiam ingenii aciem, nisi sit acerrima, retundi. Donandus tamen sic quoque vir ille ingenii praestantis testimonio, nec merita honestissimi propositi laude fraudandus, qui, cum plurimum studiis conferre cuperet, contulit certe quod potuit, quodque recte factis satis est. Si quid animo suo parum responderit, voluntatem quidem laudes, ignoscas ingenio.

Nobis vero statutum est, quando superiore libro locorum proprietatem et differentiam enarravimus pro viribus, nunc quis sit usus ipsorum et quomodo disserendi paranda facultas ex ipsis quam maxime possumus sub oculos ponere et protrahere in medium quaecunque utilia instituto nostro arbitramur, quae vel legendo vel observando vel undecunque eruendo potuimus afferre, contingetque mihi, si minus iuvare studia, at certe, quod magis cupio, doctiorum ingenia curamque ad tradenda rectius ista permovere, securusque huius operae meae, aequo ipsam animo perdam, dummodo prodesse, quod mea conor, uberius aliena consequar industria. Optanda enim est iactura quaecunque lucro maiore pensatur.

2,2. QUID SIT DIALECTICE

Statutum est igitur nobis hoc libro usum tradere locorum, hoc est, ut idem apertioribus dicamus verbis, explicare quo pacto paranda sit disserendi facultas illa, quam dialecticen vocant. Id commodissime facturi videmur, si ostenderimus quae sit materia eius, quod instrumentum, quis rerum tractatus. Materiam dico rem de qua disserimus, instrumentum orationem qua quod dictum esse ea de re[37] volumus explicamus, tractatum quomodo haec paranda sint[38] et quae cuique rei aptanda.

37 ea de re *S U A1* de re *Ep P1 P2.*
38 sint *P1 P2 A1* sunt *S U Ep.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

Haec quo facilius sit videre, optimum fuerit initio definire quid sit dialectice et cui usui - hic enim finis eius erit - destinata sit. Et nomen quidem dialectices nonnulli Latine tentantes dicere disserturam vel disputaturam, quemadmodum et grammaticen literaturam dixere. Verum quando et illa asperiora sunt atque usu minus recepta et Graeco perinde sunt usi plerique Latini tanquam suum esset, nos etiam Graeco melius utemur.

Dialecticen quidam ex artium genere voluerunt esse, quidam facultatem quandam vocavere. Verum utro dicatur modo, non est quod in praesentia valde nos sollicitos habeat. Artem esse communis accepit opinio et artem disserendi vulgo dicimus, hocque nomine editi de ea inscribuntur libri, eritque nimirum indignum artium eam excludere numero, quae reliquarum dux sit et stabilitrix artium et sine cuius praesidio tueri fines suos reliquae non satis commode possint. Quod si est ars[39], ut quidam definivere, collectio multarum de una re comprehensionum ad finem aliquem utilem vitae, vel, ut alii, recta ratio rerum faciendarum, nemo ipsam dubitaverit artem vocare. Nam et multas comprehensiones colligit, quo pacto inveniendum sit argumentum et quomodo iudicandum ubi inveneris, et faciendorum istorum rectam tradit eatenus rationem, quatenus faciendi verbum potest istis aptari, utilemque esse certum est, si falli, decipi, vera pro falsis, falsa pro veris accipi inutile putamus.

Fallit tamen nonnunquam dialecticus et pro veris falsa tradit. Evenit id quidem, sed et navem gubernator evertit et medicus aliquando perimit ; hominum sunt ista, non artium. Atque vel eo magis fatendum erit

39 est ars *S U Ep P1 P2* ars est *A1.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

utilem esse dialecticen, cum et qui oratione seducunt astu id persaepe, nulla etiam instructi arte faciant, et qui fallitur, si artem calleret, vel nequaquam id vel minus utique pateretur. Sane sicut reliquae artes quae remedio sunt inventae humanis necessitatibus non potuerunt succurrere incommodis nisi prius ea detegerent, sic dialectice, cum magna ex parte in eo sit posita quo pacto laqueos captionum fraudumque in dicendo vitemus, necesse habuit aperire insidias et ostendere quam varie quis capi posset. Quae si quis inde deprompta utenda sibi putavit, non artis haec est culpa vitare fugienda monstrantis, sed improbitatis sectari vitanda cupientis. Aperienda enim sunt ut caveantur mala et nemo artifex tantum remedia novit. Relictum ergo nobis sit artem esse dialecticen.

Artium autem aliae ad naturas rerum cognoscendas, aliae ad vitam hominum emendandam, aliae ad orationis dicendique regulam pertinent, huiusque generis dialecticen esse apparet. Orationem omnem initio diximus in id paratam esse, ut animi sui participem quisque faceret alium. Tria ergo constat in omni oratione esse oportere, eum qui dicit, eum qui audit et rem de qua habetur oratio ; tresque proinde in dicendo observationes, ut percipi possit quid sibi velit qui dicit, ut cupide audiat cui dicitur, ut probabile sit habeaturque fides ei quod dicitur. Primum grammatice docet, quae emendate et aperte loquendi viam tradit, proximum rhetorice, quae ornatum orationis cultumque et omnes capiendarum aurium illecebras invenit. Quod reliquum igitur est videbitur sibi dialectice vendicare, probabiliter dicere de qualibet

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

re quae deducitur in orationem. Itaque quaecunque ad inventionem pertinebunt, huius, si verum fateri volumus, erunt negotii.

Quoniam autem pleraque sibi rhetores de inventione et plura etiam quam quisquam dialecticorum dicenda sumpserunt, quale id sit, dicemus post paulum. Id nunc dicamus, quia volumus dialectices esse posse[40] de qualibet re[41] dicere probabiliter, probabile in disserendo non solum id esse, quod revera probabile est, hoc est, quemadmodum Aristoteles inquit, « quod vel omnibus videtur, vel plurimis, vel sapientibus, hisque vel omnibus, vel plurimis, vel spectatis probatisque » – ut sit exempli gratia quod omnibus videtur, religiose colendum esse deum, exhibendam pietatem parentibus, quod plurimis, parandas opes, honores expetendos esse, quod sapientibus omnibus, meliorem esse opibus eruditionem, quod plurimis, virtutem maxime expetendam esse, quod spectatis, ut quod Plato dixit, quod Aristoteles, quod Theophrastus –, sed quoniam consulto nonnunquam talia ad dicendum sumuntur, ut difficile sit huiusmodi quicquam eis accommodari, in his igitur abunde nobis erit probabile quod apte consentaneeque de re proposita dicetur, quemadmodum multa de rebus

40 posse *Ep P1 P2 A1* om. *S U.*
41 de qualibet re *S* de qualibet *U* de quolibet *Ep P1 P2 A1.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

quae prorsus fieri non possunt dicuntur, qualia de commentis fabularum suarum poetae, qualia etiam apud nos Apuleius duodecim libris de Metamorphosi sua et apud Graecos Lucianus libris eis, quos Verae historiae inscribit, quibus ea scripturum[42] se dicit, quae neque ipse, neque quisquam alius vidit, neque quisquam sit crediturus. Non quod nesciam posse etiam revera probabiliter de re eiusmodi dici, quae non solum a fide rerum, sed facultate etiam abhorreat, ut Lucianus idem, possintne homines in aves mutari, et apud Macrobium, fueritne prius ovum an gallina, quorum utrumvis sumas, incredibile videtur, de utroque credibiliter tamen disseritur. Nam bonum et malum idem esse, quod Heraclitus quodque post eum alii, et nihil sciri posse, quod nova Academia dixit, permultaque alia eiusdem notae, non solum qui credibiliter dicerent, sed maximos auctores, qui crederent ista, habuerunt.

Probabile ergo dialectices erit et probabiliter dicere quod pro condicione rei propositae quam aptissime ad fidem dicetur. Erit ergo nobis hoc pacto definita dialectice, ars probabiliter de qualibet re proposita disserendi, prout cuiusque natura capax esse fidei poterit.

42 scripturum *S U Ep P1 P2* sumpturum *A1.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

2,3. QUIS SIT FINIS DIALECTICES

Hinc iam haud difficile fuerit videre quis sit dialectices finis, ad quem sint illi cuncta referenda. Si enim fines sunt artium opus cuius gratia discuntur, ut quae contemplationis causa discuntur, earum finis sit contemplatio, quae propter formandam vitam probitas, quae propter aliam aliquam actionem hanc ipsam actionem cui destinantur finem habent, erit nimirum dialectices finis probabiliter de re proposita dicere, quando huic soli rei est instituta. Id scilicet est quod initio dixi docere aliquid eum qui audit.

Neque istud tamen sic accipiendum est, ut quisquis aliqua ratione docet dialectices munere fungatur. Nam et grammaticus qui fabulam poetae explicat, qui historiam recenset, qui verba interpretatur, docet, sic etiam qui interroganti « est » vel « non est » respondet, docet. Nihil tamen uterque horum agit quod ad dialecticum pertinet. Quoniam enim satis habet ab eo qui audit intelligi, quod, ut praediximus, aperte emendateque loquendi praeceptis constat, potest grammatices finibus, quae ista docet, esse contentus. Sed qui ita docet ut fidem fecisse oratione velit et dicendo auditoris ad se trahere mentem, quatenus id facit, dialectici negotium agit.

Oratione autem istud et dicendo fieri velim, nam qui stulta auditoris credulitate abutitur – ut sunt plerique, qui non dictioni credunt, sed dicenti, quanquam dicat incredibilia, quanquam repugnantia – hic non magis dialectici praestare officium videbitur, quam imperatoris ille, cui non sua virtus sed hostium metus victoriam tradit.

Quod dicimus autem aperte dicendi rationem ad grammaticum pertinere, illud non erit ignorandum nobis perspicuitatem orationis verbis

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

constare et rebus. Verbis, ut non sint vel improprietate, vel vetustate, vel novitate obscura, quanquam novandis verbis apud Latinos nullus fere relictus sit locus, neve constra naturam suam perplexius constructa. Haec quidem perspicuitatis pars ad grammaticum pertinet. At perspicuitas, quae in figuris ornatuque verborum est posita, ea rhetorices praeceptis constat.

Rerum autem perspicuitas partim in natura illarum, partim in tractatu consistit. In natura, quoniam aliae natura obscuriores sunt, aliae apertiores et cognitioni nostrae magis expositae ; ea ad dicendi rationem[43] non pertinet, quoniam cum rebus ipsis in orationem, qualiscunque est, affertur. Alia est, quam ordine disponendisque consequimur rebus, quoniam ut aliquid ante posteave[44] dictum est, ita plus minusve intelligendo alteri confert. Haec ex dialectici est institutis, quoniam non modo percipiendis rebus ordo plurimum praebet adiumenti, sed nonnunquam etiam fides earum magna ex parte huic ipsi est innixa. Quemadmodum enim nemo pictorem quempiam aut fictorem consummatum dixerit, qui omnia quidem seorsum membra exacte exprimeret, iungere autem ea nesciret et in eam habitudinem componere ut motus aut actus alicuius quam vellet imaginem imitarentur, sic ne dialectici quidem nomen sibi vendicabit, qui omnia faciendae fidei invenire sciat, sed disponere et in ordinem redigere ut fidem cui destinantur facere possint nesciat.

43 ad dicendi rationem *A1* ad rationem *S* ad rationem <dicendi> *add. In margine U* ad orationem *Ep P1 P2.*

44 ante posteaue *U A1* antea <posteaue> *add in margine S* ante postve *Ep P1* ante postue *P2.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.

Hic itaque finis erit dialectices, docere pro facultate rei de qua disseritur, id est, invenire quae fidei faciendae sint apta, et inventa disponere atque ut ad docendum quam accommodatissima sint ordinare. Iudicandi enim partem hoc ipso, quod faciendae fidei apta invenire[45] debere praescribo, comprehensam in praesentia velim, namque perinde videtur non invenire et invenire eiusmodi, quae iudicentur instituto nostro apta non esse.

2,6. MATERIAM DIALECTICES QUAESTIONEM ESSE ET QUID ALII DE HOC SENSERINT

Hinc[46] igitur ea, de quibus hoc libro dicturos nos praediximus, exequamur eo quo proposuimus ordine. Tria erant quibus disserendi facultatem constare voluimus, materia, instrumentum et tractatus. Materia ordine est prima, primum ergo illa nobis explicetur.

Ne quem fallat autem nominis huius ambiguitas, illud admonitum velim materiam artium quandoque dici id, quod artibus docetur et circa quod versatur cura consideratioque illarum, quod et subiectum vocari priore libro diximus. Sic materiam dialectices possumus dicere argumentationem, ut plerique, vel, ut nos, dictionem probabilem, quanquam parum haec ipsa divertant. Dicimus etiam materiam artium id, in quod opus suum explicant, quemadmodum statuarii materiam dicimus aes, marmor, gipsum, ceram, omne id denique ex quo simulacrum aliquod aut imaginem effingere potest, et figuli materiam lutum,

45 inuenire *P2 A1* inueniri *S U Ep P1.*
46 Hinc *S Ep P1 P1* Nunc *U A1.*

© 2018. Classiques Garnier. Reproduction et diffusion interdites.